

tionis Sulphuris & Mercurij, vel solutionem corporum, aut coagulationem spirituum te minime intrudas, nec pretiosos ipsorum cures alembicos, cum ad rectam artem minus fient idonei. Quam diu etiam non veracem naturæ essentiam indagaueris, tam diu quoque, crede mihi, absque solatio manebis, & tandem, artem istam nullam, fictam, atque mendacem esse deprehendes. Si itaque emolumentum quærere desideres, ea propter sublimationi, calcinationi, solutioni, & coagulationi, vna cum ipsa putrefactione, renunciare te oportet, & econtra discipulus fies, ad verum Philosophiæ fundamentum inquirendum: qui tibi, per verum intellectum, aliam solutionem & coagulationem, aliud itidem regimen, quod naturale est, & cum ipsa etiam natura conueniunt tibi monstrare poterit. Quemadmodum enim illud à natura in terræ venis, vbi metalla crescunt, elaborat, ita quoque & heic naturam sequi necessum habes. Cernis enim, quod natura non magis, quam vnā vnica substantiam in essentia sua vsurpet, & in dicta modo substantia omneis res occultatas vides. Hæc autem substantia nullo alio labore indiget, quam coctione, per quam eo magis magisque, vsque ad summum illius gradum, sursum eleuatur. Ex simplici ista coctione & gradatione versuti sophistæ solutionis, Coagulationis, Calcinationis, putrefactionis, sublimationis, aliaque phantasmatum nomina excogitarunt, ex vera simplici essentia, vel coctione totam aliam essentiam effinxerunt, & hoc modo simplicem veramque artem in summam difficultatem præcipitarunt, non secus, ac si tot molestiæ, tantique labores, & sumptus, ad illam requirerentur: id quod